

RODOLPHVS PRAESVL BASILIENSIS.



**R**odolphus ob insignem eruditionem & præclaras animi uirtutes eius nominis tertius atque in ordine decimusquartus, post Vualanum (qui primus fuit) Basiliensis episcopus electus est. Is magna dexteritate eam Ecclesiam administrauit, atq; passim apud reges & principes sibi magnam authoritatem comparauit. Eius tempore, anno circiter 1010, Heinricus 2, qui sanctorum catalogo inscriptus fuit, imperiū administravit. Cum itaq; Vngari Basilæam tum uastassent, atq; cathedralis ecclesia Rheno proxima ruinam minitaretur, Rodolphus cum Cæsare agere cepit, de novo templo construendo. Habuit etiam in ea petitio-ne Cæsarem benignum qui mirabil liberalitate episcopū adiuuit, & eam urbem & ecclesiam arce Pfeffingensi multisq; donis & priuilegijs exornauit.